Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Cornelivs Nepos perperam vulgo Aemilivs Probvs dictus, De Vita Excellentivm Imperatorvm

Nepos, Cornelius

Lipsiae, MDCCXIV

VD18 12591890

IX. Conon.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16472

Visual Library

amplius, quam centum iugera, quae & meam animi aequitatem & vestram [11] *voluntatem indicent.* Nam parva munera, diutina: locupletia, non
3 propria esse consueuerunt. [12] Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque [13] quemquam honore se antecessisse
4 existimavit. Hic [14] sequenti tempore, cum praetor classem ad [15] Ciliciam appulisset, neque satis diligenter in castris eius [16] agerentur vigiliae, a barbaris ex oppido noctu [17] eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

chus cit. lib. p. 820 tantum accepisse, quantum emisso telo finiuerit. C.

11 *voluntatem*] benefaciendi.

12 *illa*] *in.*

13 *quemquam - - antecessisse*] quod quisquam se Thrasybulum antecesserit. 14 *sequenti*] *in.*

15 *ad Ciliciam appulisset*] ad Eurymedonta Pamphyliae, ab Aspendiis oppressus Xenophon sub fin. IV rer. Graec. *deueniens Aspendum appellabat ad fluuium Eurymedontem. Aspendii ad iram concitati, noctu in tabernaculo trucidauerunt.*

16 *agerentur vigiliae*] *die schildwache gehalten wurde.*

17 *eruptione*] i. e. *in.*

IX.

CONON.

ARGVMENTVM.

1. *Conon Peloponnesio bello exercitus rexit, & insulis praefuit, absens, cum Athenienses ad Aegos flumen vincerentur.* 2. *Afflictis patriae rebus, ad Pharnabazum se contulit, eique operam contra Spartanos commodauit.* 3. *Missus ad regem, vt Tissaphernem accusaret, suadente Tithrauste, per litteras egit, quod nollet adorare.* 4. *Bello contra Spartanos vna cum Pharnabazo praeficitur: illi timent sibi a tanto duce: vincuntur ad Cnidum: Graecia liberatur, & muri Athenarum reficiuntur.*

Landesbibliothek Oldenburg

reficiuntur. 5. Tandem Ioniam & Aeoliam Atheniensibus restituturus proditur, ad Tiribazum euocatur, in vincula coniicitur, quae tamen creditur effugisse.

CONON Atheniensis [1] Peloponnesio bello [2] accessit ad rempublicam, in [3] eoque eius opera [4] magni fuit. nam & praetor [5] pedestribus exercitibus praefuit, & praefectus classis res magnas [6] mari gessit. Quas ob caussas praecipuus [7] ei honos habitus est. namque omnibus [8] vnus insulis praefuit. in qua potestate [9] Pheras cepit, coloniam Lacedaemoniorum. Fuit etiam [10] extremo Peloponnesio bello praetor, cum apud I 2

Cap. I. [1] *Peloponnesio*] *in.*

[2] *accessit ad Remp.*] factus est membrum magistratus in republica Atheniensium.

[3] *eoque*] sc. bello Peloponnesio.

[4] *magni*] pretii sc. res.

[5] *pedestribus exercitibus*] Vide Alcibiad. cap. 8. C.

[6] *mari*] *in.* [7] *ei*] Cononi.

[8] *vnus*] pro solus. Vide Tursellinum de part. c. 244. 19.

[9] *Pheras cepit*] non Pheras Thessaliae, quas nemo coloniam Lacedaemoniorum dixit: sed Pheras Messeniae, ad sinum Messeniacum, prope Laconiae confinium. Strabo VIII. p. 253 Φεραὶ τῆς Μεσσηνίας εἰσίν: & Ptolomaeus III. 16 Φεραὶ ἐν τῷ Μεσσηνιακῷ κόλπῳ, *Pherae ad sinum Messeniacum*, quas illius penultimum oppidum, Laconiam versus, constituit. Stephanus Byzantius, Φαραὶ πόλις Μεσσήνης. Plinius IV. 5 in Laconia ponit, quia Augustus eo transcripserat teste Pausania Messen. p. 140. Confirmat Xenophon IV. Graecor. f. 314 de Conone, Persicae iam classis praefecto, tradens, *per insulas in Melum nauigauit: vt inde Laconiam inuaderet.* καταπλεύσας δὲ πρῶτον εἰς Φεράς, *principio Pheras delatus, ea regione vastata in Cytheream transmisit*, non ergo opus est, vt contra MSS. fidem *Theram* cum Meursio legamus, aut *Pheras* cum Courtino quaeramus in Creta insula. vid. Tab. II.

[10] *extremo*] *in.*

11 Ægos

Landesbibliothek Oldenburg

11 Ægos flumen copiae Atheniensium 12 a Lysandro sunt deuictae. Sed tum 13 abfuit, 14 eoque peius res administrata est. nam & prudens 15 rei militaris, & diligens erat imperator. Itaque nemini erat 16 his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

II 1 Rebus autem afflictis cum 2 patriam obsideri audisset, non quaesiuit, vbi ipse 3 tuto viueret, sed vnde 4 praesidio posset esse ciuibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum satrapen Ioniae & Lydiae, eumdemque generum regis & propinquum; apud quem vt multum 5 gratia valeret, 6 multo labore multisque effecit periculis.

2 Nam cum Lacedaemonii Atheniensibus deuictis in societate non manerent, quam cum 7 Artaxerxe fecerant. 8 Agesilaumque 9 bellatum missent in Asiam, maxime 10 impulsi a Tissapherne,

11 *Ægos*] flumen Chersonesi Tauricae.

12 *Lysandro*] Lacedaemoniorum Duce.

13 *abfuit*] immo aderat, praeuidebat aduentantem hostem, suosque hortatus est, vt arma caperent. Cum vero nihil efficeret, paucis nauibus (octo, Plutarchus; nouem, Xenophon habet) in Cyprum aufugit, *Plutarch. Lysandro p. 438. seq. Xenoph. II. Graecor. p. 268.* C.

14 *eoque peius*] *desto schlimmer.*

15 *rei*] i. e. in scientia. 16 *his*] *in.*

Cap. II. 1 *rebus*] *in.* 2 *patriam*] Athenas.

3 *tuto*] in tuto loco. Eodem plane modo Tullius Attico suo VIII. 1. *ei statim rescripsi, non me quaerere, vbi tutissimo essem*, quam lectionem Sosipater Charisius lib. 2. p. 173 confirmat. C.

4 *praesidio*] *zur bedekung.* 5 *gratia*] *in.* 6 *multo*] cum.

7 *cum Artaxerxe fecerant*] Mnemone, Cyri fratre. C.

8 *Agesilaumque*] vitam habes n. 17.

9 *bellatum*] i.e. ad bellatum, *vt bellaret*, vel *bellandi caussa.*

10 *impulsi*] Lacedaemonii. qui

qui ex [11] intimis regis ab amicitia eius defecerat, & cum Lacedaemoniis coierat [12] societatem: [13] hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator: [14] re [15] quidem vera exercitui praefuit Conon, eiusque omnia [16] arbitrio gesta
sunt. Hic [17] multum ducem summum Agesi- 3
laum impediuit, saepeque eius consiliis obstitit. [18] neque vero non fuit apertum, si [19] ille non fuisset, Agesilaum Asiam [20] Tauro tenus [21] regi fuisse erepturum. [22] Qui posteaquam domum 4

[11] *qui ex intimis regis defecerat*] nisi haec criminatio & calumnia Pharnabazi est. Iustinus VI. 1 *Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur:* Orosius III. 1. defert vt proditorem: Xenophon III. Graec. p. 286 Pharnabazus ὑπερθόνει τῷ Τισσαφέρνῃ: Diodorus XIV. 27. Artaxerxes Tissaphernem διετέλει πιστότατον ἔχων τὸν φίλον. C.

[12] *societatem*] *in.* [13] *hunc aduersus*] aduersus hunc.

[14] *re*] *in.*

[15] *quidem*] hoc *Quidem* est *autem*, vt in Hannibale c. 2. n. 6. *cum quidem bellum parabis*] idem valet, quod *cum autem*, Cicero pro M. Marc cap. 9. *vagabitur nomen tuum longe lateque: sedem quidem stabilem & domicilium certum non habebit.* Adde Perizon. ad Minerv. Sanct. p. 375. C.

[16] *arbitrio*] *ex.*

[17] *multum*] sc. in modum. *auf vielerley art.*

[18] *neque non*] Vide supra ad Thrasybulum 2. 2.

[19] *ille*] *Conon.*

[20] *Asiam Tauro tenus*] Ioniam Aeoliam, Cariam, Lyciam, Lydiam, Phrygiam & Pamphiliae partem. Has enim regiones Romani in pacificatione cum Antiocho *Asiam eis Taurum* vocant apud Liuium XXXVII. 45. isque rex, vt Sex. Rufus ait cap. 12. *intra montem Tauri regnare permissus est.* Singulas prouincias recensent Polybius Legat. Excerpt. 36. & Liuius, Polybium pro more secutus, XXXVIII. 39. vid. Tab. III.

[21] *regi*] Persarum. [22] *Qui*] Agesilaus.

a suis

a ſuis ciuibus reuocatus eſt, quod Boeotii & Athenienſes Lacedaemoniis bellum indixerant, Conon nihilo ſecius apud praefectos regis verſabatur, hisque omnibus [23] maximo erat vſui.

III Defecerat a [1] rege Tiſſaphernes, neque id tam Artaxerxi, quam ceteris, erat apertum. [2] multis enim magnisque meritis apud regem, etiam cum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum, ſi non facile ad [3] credendum inducebatur, reminiſcens [4] eius ſe opera Cyrum fratrem
2 ſuperaſſe. [5] Huius accuſandi gratia Conon a Pharnabazo ad [6] regem miſſus, poſteaquam venit, primum ex more Perſarum ad [7] chiliarchum, qui ſecundum gradum imperii tenebat, [8] Tithrauſtem accesſit, ſeque oſtendit cum rege colloqui velle. nemo enim ſine [9] hoc admitti-
3 tur, huic ille, *nulla, inquit, mora eſt: ſed tu delibera, ſtrum colloqui malis, an per litteras agere, quae cogitas. neceſſe eſt enim ſi in conſpectum*

[23] *maximo*] in maximum vſum.

Cap. III. [1] *rege*] Artaxerxe.

[2] *multis*] *ex. wegen.*

[3] *credendum*] ſcelus perfidiae, cuius Tiſſaphernes incuſabatur.

[4] *eius ſe opera Cyrum fratrem ſuperaſſe*] Finito bello cum praemia ſuis Artaxerxes diſtribueret, iudicabat fortiſſimum omnium fuiſſe Tiſſafernem.

[5] *huius*] Tiſſaphernis.

[6] *regem*] Perſarum Artaxerxem.

[7] *chiliarchum*] *praefectum mille* militibus a χίλιοι, *mille* & ἄρχων, *princeps.*

[8] *Tithrauſtem*] Tithrauſtes antea chiliarchus & praefectus aulae: poſtea ἡγεμών, *ſupremus dux* belli factus Tiſſaphernis capiendi cauſſa, *Diodor. XIV. 81.* C.

[9] *hoc*]. Chiliarcho.

ſeneris,

ſeneris, [10] *ſenerari te regem, quod* προσκυνεῖν [11] *illi ſocant.* [12] *hoc ſi tibi graue eſt, per me nihilo ſecius* [13] *editis mandatis conficies, quod ſtudes.* Tum Conon, *Enimuero*, inquit, *non eſt* 4
[14] *graue; quemuis honorem habere regi; ſed ſereor, ne* [15] *ciuitati meae ſit* [16] *opprobrio, ſi, cum ex ea ſim profectus, quae ceteris gentibus imperare conſueuerit, potius barbarorum quam* [17] *illius more fungar.* Itaque, quae volebat, [18] huic ſcripta tradidit.

[1] Quibus cognitis, [2] rex [3] tantum [4] auctorita- IV

[10] *venerari te regem*] *humi procumbere, pronum fieri*, adorationis cauſſa. Curtius V. 2 extr. *procumbens venerari me ſaepe voluiſti:* & cap. 10. *procumbentes humi quem paullo poſt in vinculis habituri erant, ſuſtinuere venerari;* & VI. 6. n. 3 *iacere humi venerabundos pati coepit.* C.

[11] *quod* προσκυνεῖν *illi vocant*] Quinam vero ſunt *illi?* Perſae an Graeci? at Perſae ante Macedonum inuaſionem Graece haud intelligebant: ſi Graeci, quocum Pronomen cohaeret? Porro cuius verba ſunt, Tithrauſtis, an hiſtorici? Si *Graeci* ſcriptum eſſet, nihil dubii ſuperforet. Plinius XI. 37 (Hard. num. 54) *quos* κορυβαντιᾶν *Graeci dicunt.* Sed mitto verba: rei exemplum addo ex Herodoto VII. 136, vbi Spartanorum legati ne vi quidem ſatellitum cogi poterant, vt Xerxem procumbentes venerarentur, ὅτι γάρ σφι ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν, *ſuae* dicentes, *conſuetudinis non eſſe, hominem adorare.* C.

[12] *hoc*] adorare.

[13] *editis mandatis*] *nach gegebenen befehle.*

[14] *graue*] *moleſtum, aduerſum*, *wenn dir es zu viel iſt.*

[15] *ciuitati*] Athenis.

[16] *opprobrio*] *zum vorwurff.*

[17] *illius*] Athenarum vrbis dominatricis.

[18] *huic*] Chiliarcho.

Cap. IV. [1] *quibus*] de perfidia Tiſſaphernis accuſationibus.

[2] *rex*] Perſarum. [3] *tantum*] i. e. in

te

te[5] eius motus est, vt[6] Tissaphernem hostem iudicauerit, & Lacedaemonios bello persequi iusserit, & [7] ei permiserit, quem vellet eligere ad dispensandam [8] pecuniam. Id [9] arbitrium Conon negauit [10] sui esse consilii, sed [11] ipsius, qui optime [12] suos nosse deberet: sed se suadere,
2 Pharnabazo [13] id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus ad [14] mare est missus, vt Cypriis, & Phoenicibus, ceterisque maritimis ciuitatibus [15] naues longas imperaret, classemque, [16] qua [17] proxima aestate mare tueri posset, compararet: dato adiutore, Pharnabazo, sicut ipse
3 voluerat. Id [18] vt Lacedaemoniis est nuntiatum, non sine cura rem administrarunt, quod maius bellum imminere arbitrabantur, quam si cum barbaro solum contenderent. Nam ducem

4 *auctoritate*] ab. 5 *eius*] Cononis.

6 *Tissaphernem hostem iudicauerit*] misso Tithrauste, qui capite obtruncauit. *Plutarch. Agesil. p. 382. & Xenoph. III. Graec. p. 293.* C.

7 *ei*] Cononi.

8 *pecuniam*] necessariam in sumtus belli.

9 *arbitrium*] eligendi quaestorem bellicum.

10 *sui consilii*] scil. *rem esse.*

11 *ipsius*] regis. 12 *suos*] ministros.

13 *id negotii*] illud negotium.

14 *mare*] mediterraneum.

15 *naues longas imperaret*] *longas*, id est *militares.* Vide Themist. c. 2. n. 5. elegans vero vsus verbi *imperandi* cum quarto & tertio casibus. Curtius III. 1 *ex foedere naues sociis imperat.* Noster Attico c. 7. n. 3 *cum priuatis pecunias per epistolas imperaret.* Cicero pro lege Man. c. 12 *Cretensibus obsides imperauit.* Caesar B Gall. V. 1 *ciuitatibus milites imperat.* C.

16 *qua*] *cum.* 17 *proxima*] *in.*

18 *vt*] postquam.

fortem

fortem & prudentem, regiis opibus praefuturum ac secum dimicaturum videbant: quem neque [19] consilio, neque copiis superare possent. [20] Hac mente magnam contrahunt classem, 4
proficiscuntur [21] Pisandro duce. Hos Conon apud [22] Cnidum adortus [23] magno proelio fugat, multas naues capit, complures [24] deprimit. [25] Qua victoria non solum Athenae, sed etiam 5
cuncta Graecia, quae sub Lacedaemoniorum fuerat imperio, liberata est. [26] Conon cum parte nauium in [27] patriam venit: muros dirutos a Lysandro, vtrosque & Piraeei, & Athenarum, [28] reficiendos curat, pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, ciuibus suis donat.

Accidit [1] huic, quod [2] ceteris mortalibus, vt V
inconsideratior in secunda, quam in aduersa es-

[19] *consilio*] i. e. *in.* [20] *hac*] *in.*

[21] *Pisandro*] sub.

[22] *apud Cnidum proelio fugat*] Proelium hoc scripsit Diodorus XIV. 84 Cnidus autem vrbs Chersonesi Doricae, in interiore eius angulo. *Strab. XIV. p. 451. Ptolem. V. 2.* C.

[23] *magno*] *in.*

[24] *deprimit*] *versenckt sie.*

[25] *qua*] i. e. *ex.*

[26] *Conon cum parte nauium*] octoginta triremibus, *Diodor. XIV. 86.* C.

[27] *in patriam venit*] in Piraeeum portum triremes induxit. *ibidem.* C.

[28] *reficiendos curat*] magnam opificum turbam conduxit, iisque administros ex nauibus dedit, vt breui maxima pars murorum reficeretur. Soli Thebani miserunt quingentos artifices lapidicidas. *ibidem.* C.

Cap. V. [1] *huic*] Cononi.

[2] *ceteris*] accidere solet.

2 set fortuna. Nam classe [3] Peloponnesiorum devicta, cum [4] vltum se iniurias patriae putaret, [5] plura concupiuit, quam efficere potuit. [6] Neque tamen ea non pia & probanda fuerunt; quod potius patriae opes augeri, quam [7] regis,
3 maluit. Nam cum magnam auctoritatem sibi [8] pugna illa nauali, quam apud Cnidum [9] fecerat, constituisset, non solum inter [10] barbaros, sed etiam inter omnes Graeciae ciuitates, clam dare operam coepit, vt [11] Ioniam & Æoliam restitueret Athenienſibus. Id cum minus diligenter esset celatum, Tiribazus, qui [12] Sardibus praeerat, Cononem euocauit, simulans ad re-

3 *Peloponnesiorum*] Lacedaemoniorum.

4 *vltum*] esse. 5 *plura*] negotia.

6 *neque tamen non pia*] At intempestiua pietas, quae contra fidem est, vt illa Miltiadis in ponte dissoluendo. C.

7 *regis*] Artaxerxis. 8 *pugna*] *in*.

9 *quam fecerat*] pugnam facere, proelium committere. Tacitus annal. III. 21 *prosperam aduersus Numidas pugnam fecit*. Pariter dicunt *proelium facere*. Liuius XXXV. ineunte, *crebra magis quam digna dictis proelia fecit*. Cicero Epist. Fam. XV. 15 *ille quasi fatali proelio facto*. Adde nostrum Chabr. pr. C.

10 *barbaros*] Persas.

11 *vt Ioniam & Æoliam restitueret*] Hoc aliter Diodorus & Xenophon narrant: Ille XIV. 86 Tiribazum invidia gloriae Cononis inductum (ἐφθόνει ταῖς τοῦ Κόνωνος εὐπραξίαις) πρόφασιν, *praetextum* habuisse, quasi regiis copiis Athenienſium ditioni vrbes adiungat; hic lib. IV. Graec. p. 315. calumniae Spartanorum, eorumque legati Antalcidae, hoc dedisse ait Tiribazum, vt Cononem ὡς ἀδικοῦντά τε βασιλέα καὶ ἀληθῆ λέγοντων Λακεδαιμονίων, in vincula coniiceret. Similem exitum Tiribazus postea habuit. *Diodor. XV. 8.* C.

12 *Sardibus*] vrbi Lydiae in Asia minore. vid. Tab. III.

gem

gem eum mittere velle, [13] magna festinatione. [14] huius nuntio parens cum venisset, in [15] vincula coniectus est: in quibus aliquamdiu fuit. Nonnulli eum ad regem abductum, ibique perisse scriptum [16] reliquerunt. Contra ea [17] *Dinon* historicus, cui non plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit: illud [18] addubitat, vtrum Tiribazo sciente, an [19] imprudente sit factum.

[13] *magna*] i. e. *in*. [14] *huius*] Tiribazi.

[15] *in vincula*] *in carcerem*.

[16] *reliquerunt*] Ex his etiam Diodorus Siculus est. Nam XV. 43 scripsit *Iphicrates veritus, ne* συλληφθῇ καὶ τιμωρίας τύχῃ, καθάπερ Κόνων ἔπαθεν ὁ Ἀθηναῖος, *captus supplicio adficiatur, quemadmodum Conon Atheniensis passus erat*. C.

[17] *Dinon*] Dino, vt Plinius X. 49 refert, pater Clitarchi fuit celebrati auctoris, cuius etiam Curtius mentionem fecit IX. 5. 21. Scripsit, vt etiam Athenaeus II. 23. auctor est, historiam Persicam. Περσικὴν πρα, γματείαν. C.

[18] *addubitat*] aliquantulum dubitat.

[19] *imprudente*] *prudens* est idem ac *prouidens*. *Imprudente* ergo Tiribazo hoc factum dicitur, h. e. *sine* ipsius *prouidentia* vel scientia.

X.

DION.

ARGVMENTVM.

1. *Dion & genere & adfinitate Dionysiorum nobilis, maiori praesertim intimus ac saepe legatus:* 2. *a quo impetrat, vt Plato adducatur, cui imprimis carus fuit. Regni sperans divisionem,* 3. *offendit minorem Dionysium, Platonis tamen reditum ab eodem obtinet, cuius consilius Philistus aduersatur.* 4. *Dion Corinthum deportatur, vxor traditur alii, filius pessime corrumpitur.* 5. *Vlturus iniuriam duabus nauibus validum regnum oppugnato & tyrannum ad pactiones adigit.* 6. *Mutatur fortuna morte filii, & factione Heraclidis,*